

TACITI ANN. 15,38,4

post multorum labores (et amici quoque mei Heubneri apud *Museum* anno 1967, pp. 225–229) nondum clarum accepit diem ille locus ubi Tacitus uiuidam incensae Romae speciem pingit. nam in enarrandis exstinguentium difficultatibus tangit noster uelocitatem mali et arta ueteris Vrbs itinera; sequitur tertia difficultas ita descripta:

lamenta pauentium feminarum fessa aetate aut rudis pueritiae aetas Ω
lamenta pauentium feminarum fessa senum aut rudis pueritiae aetas L

fessa [aetate] aut r.p. aetas	Lips. Bach
fessa aetate aut r.p. [aetas]	JGron. Heubner
fessa ⟨sen⟩ectute aut r.p. aetas	Bezz. 1844
fessorum aetate aut r.p. ⟨anxi⟩etas	JMüller 1884
fessorum aetate aut r.p. [aetas]	Novák 1887
fessa aetas aut rudis pueritia [aetas]	Francken 1889
fessa ⟨sen⟩ectus aut r.p. aetas	Koest. 1960
fessa aetate ⟨parentium⟩ aut r.p. [aetas]	Fuchs 1963

primo quaeritur quare lamentis feminarum, quibus uiri distrahebantur, consocientur pueritiae non lacrimae uagitus terror imbecillitas sed aetas uel rudis aetas: nouum enim et improuisum erat id malum tam parentibus quam liberis nec aetate maxime laborabatur sed metu. nec magis sensus quam usus Taciteus reclamat.

male enim *lamenta* et *aetas* coniunguntur in libris, cum alibi apud nostrum *lamentis* accedant uocabula quae ipsa per se affectus reddant uelut *desiderium* aut *planctus* siue *conclamations* uel *maeror*; et *aetatem* comitentur *ratio dignitas nobilitas sexus ordo robur ualetudo*, nusquam *lamenta*.

at quorum *lamenta*? uulgo apud Cornelium lamentantur feminae ac pueri, uiri rarius, ita ut primo aspectu nonnisi de feminis puerisque mentionem exspectemus. sed senes quoque fessa aetate laborant (cf. 1,46,3; 3,59,4; I 12,2) ac satis apparet et ex cotidiana cuiusuis uita et ex Tacito multisque aliis scriptoribus imbecillam populi partem ex feminis senibus pueris constare: his opponitur iuuentus (cf. 1,56,2–3; 4,50,2; III 33,1; IV 42,4; G 15). retinenda ergo notio senum, quamuis apud Leidensem a coniectura profecta esse uideatur.

lamenta autem feminarum non solum aetate prouectarum sed prorsus omnium propria esse nemo negabit. uocabula igitur *fessa aetate* a feminis seiungi, cum notione *senum* coniungi debent.

postremo iterationem uoc. *aetas* intra unam sententiam quis tolerabit? et uoc. *aetas*, ut uidit Johannes Müller Aenipontanus, nonnisi cum uoc. *anxietas* confundi posse credo (nam *infirmitas* uel *imbecillitas* uigore caret Taciteo, nec facile excidere poterat), et bene dicuntur *anxii* quorum matres sorores aui paucant.

haec reputantibus occurrit id quod et corrumpi facile poterit: *lamenta feminarum* (et *senum*) *fessa aetate* aut *rudis pueritiae* (anxi)etas cuius forma haud displicet, duplici chiasmo sibi respondens: *lamenta* cum gen., inde gen. ante *anxietas*; et *pauentium feminarum/senum fessa aetate*.